

DISPV TATIO THEOLOGICA
DE
GENVFLEXIONE
CORAM
CHRISTO IVDICE

IN QVA
LOCA ESAIAE XLV. 23 et PHILIP. II. 9 - 11.

CONFERENT

PRAESES

DN. M. IOH. GOTTLOB WERNER

KORGITZSCHIA - MISN. THEOL. CAND. ET FAC. PHIL. ADJ.

RESPONDENS

DN. IOH. GOTTLOB RVHMER

ZSCHEPLINA - MISNICVS

OPPONENTES

DN. M. CAROLVS SIEGMVND STEINBERG

GOLDBERGA - SILESIVS

DN. PHILIPPVS ERNEST. ALBERTVS HILLER

HOHENLOICO FRANCVS

AD QVAM DIE III AVGVSTI MDCCCLXVIII. HORA VIII - X
HABENDAM ET FREQVENTANDAM

ALVMNOS REGIO - ELECTORALES

PERAMANTER INVITAT

CHRISTIANVS FRIDER. BAVER

S. S. TH. D. P. P. O. ET AL. EPH.



WITTENBERGAE

PRELO IOANNIS GVILIELMI BOSSOEGELL.

186

Ex lib. ...

Coll. diss. A
234,17

Diss. A. 234 (IV)

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a signature or initials, located in the lower left corner of the page.

Q. D. B. V.
AD CONFERENDA LOCA
ES. XLV. 23. et PHILIP. II. 9-11.

In disputatione ante octiduum habita, ex juramento novissimi judicis, quod Esaiæ XLV. 23. legitur, probavimus veritatem & existentiam futuri judicis, Domini nostri Jesu Christi, cui se tandem omne incurvabit genu, eamque adversus blasphemam Edelmanni abnegationem vindicavimus. Restat autem, ut rationem et formam hujus genuflexionis in ultimo judicio expendamus, et quid Paulus in epistola ad Philippenses de ea doceat sollicitè conferamus. Res enim est nobis, cum audacissimis criticis, qui contendunt judicium ultimum esse mere internum nec externum, et per meras operationes fieri in conscientiis hominum. Haerent circa doctrinam de ultimo judicio, et se rigidis constrictos rationibus profitentur, cur apparitionem judicis universalis, in nubibus coeli visibilis, in dubium vocent. Dicunt stylum sacrum in describendo processu judiciali accommodari ad opinionem vulgi, et emblematicè uti, non proprie et naturaliter sed metaphoricè accipiendis. Propterea negant visibilem Domini apparitionem ad ultimum judicium, negant repertum iri libros in ère aperiendos, negant recitandam cuique anteaetæ vitæ historiam. Et sic insurgunt etiam contra futuram coram tribunali Christi genuflexionem, quia Paulus sibimetipsi non constet in explicatione citati dicti ex Es. XLV. 23. Nam si de ultimo judicio agat, ad cujus probationem Rom. XIV. 10-12. adducitur, cultus religiosus Christo exaltato in hac vita exhibendus ibi describi non posset, quem tamen ibi præscriptum esse Paulus doceat, Philip. II. 10. et concilia confirmet, nempe ut Christiani ad nomen Iesu caput aperiunt et genua flectant.

Ad hanc collisionem evitandam, et objectas dubitandi rationes removendas, a Spiritu veritatis in omnem introducemur veritatem, si verbum Dei accurate considerabimus, et explicationem ultimi iudicii et futurae in eo genuflexionis, exinde hauriemus, quae cum Dei et rerum natura cohaeret.

Vt vero de loco ad Philippenses II. 9-11. necessaria dicamus, primum verba Apostoli ipsa praemittimus: *Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνομάτων. ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πάντων γόνου καὶ μίση ἐπυρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ κατὰ χθονίων· καὶ πάντα γλῶσσαι ἐξουολογήσῃαι ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς.* Ex versione vulgata: *Propter quod et Deus exaltavit illum: et donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum: et omnis lingua confiteatur quia Dominus, Iesus Christus, in gloria est Dei patris.*

Necesse est, ut scopum et seriem orationis Apostolicae observemus. Proponit Christum ut exemplum humilitatis imitandum a nobis. Quod praeclare ut solet exposuit B. LUTHERUS Tom. I. Ien Lat. de libert. Christiana fol. 392. quem adducere juvabit: *Hic clare videmus vitam Christianorum ab Apostolo in hanc regulam esse positam, ut omnia opera nostra ad aliorum commoditatem ordinentur. Ad hoc inducit Christum pro exemplo, dicens: Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo. Sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, Humiliavit semet ipsum, factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis. Hoc verbum Apostoli saluberrimum nobis obscurarunt ii, qui vocabula Apostolica, formam Dei, formam servi, habitum, similitudinem hominum prorsus non intellexerunt, et ad naturas divinitatis et humanitatis transtulerunt. Ex hoc monito B. LUTHERI nunc quaestionem movebo exegeti-*

cam: De quonam tempore sermo est, si Paulus dicit, cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.

Vtrum

Vtrum hoc praedicatur de filio Dei, nondum ex B. virgine in tempore nato? an de Christo incarnato postquam assumpsit formam servi, et se ipsum exinanivit? Vtrum exemplum exinanitionis Christi incarnandi, an incarnati in exemplum humilitatis imitandum proponit? Qui ob receptas de statu exinanitionis et exaltationis Christi descriptiones, incarnationem pro exinanitione, et ascensionem in coelos pro exaltatione habent illi respondebunt cum nonnullis, *filius Dei fuit εν μορφῇ Θεῶ nec rapinam duxit εναι ἰσα Θεῶ* antequam assumpsit formam servi et se ipsum exinanivit. Ego autem dubito haec Paulum respexisse. Sed postquam factus erat homo, seipsum cognoscebat in forma, hoc est in descriptione et depictione Dei apud prophetas V. T. qui omnes de futuro Messia testati sunt: Messiam fore DOMINVM יהוה dicendum, ad gloriam Dei patris. Hoc nomen essentiale Dei יהוה est nomen illud, quod supra omne nomen est, et hoc nomine Christus apud prophetas insignitus fuit, quod in statu exinanitionis Christus etiam scivit, nec pro rapina habuit si cultum Deo debitum ἰσα Θεῶ admitteret, et se Deo aequalem filium Dei existimaret. Nihilominus Christus in forma Dei existens, et patefactionem et picturam Messiae ex prophetis tenens, se non superiorem gessit in conversatione humana, sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens. Non obtrudebat se hominibus in forma Dei ab omnibus ob maiestatem divinam adorandi, sed ideo se appellat filium hominis, in similitudinem hominum factus, qui servi potius quam Dei formam praesentavit. Et sic se gerendo se humiliavit vsque ad mortem. Propterea vero in hac sua exinatione qua se ipsum humiliavit, exaltatione divina per prophetas non destitutus fuit, sed illo etiam tempore fuit εν μορφῇ Θεῶ homo, cuius nomen supra omne nomen apud prophetas exaltatum, et Christo homini ἐχαρίσαστο ex gratia donatum est. Fuit εν ὑπερυψώσει quam Paulus in Esaia invenit, et in praedictione

sione consistit, quod Iesus Christus sit $\kappa\upsilon\tau\eta\iota\varsigma$ $\kappa\upsilon\tau\eta\iota\varsigma$ DOMINVS mundum iudicaturus, Haec exaltatio existit ab initio iuramenti, quod Esaiiae XLV. 23. legitur, et Paulus ad Philippenses II, v. 9-11. pluribus exposuit.

Exegesis mea itaque eo redit. Secunda S. Trinitatis persona praeeinens ante incarnationem erat potius $\Theta\epsilon\omicron\varsigma$, quam $\epsilon\nu\mu\omicron\rho\rho\eta\ \Theta\epsilon\omicron\varsigma$. De Christo autem homine commodius accipitur praedicatum $\upsilon\pi\acute{\alpha}\rho\chi\omega\nu\ \epsilon\nu\ \mu\omicron\rho\rho\eta$ quod existat in forma Dei, i. e. in manifesta maiestatis divinae descriptione et appellatione $\kappa\upsilon\tau\eta\iota\varsigma$ DOMINI. In hac forma Dei Christus notus et conspicuus factus est per prophetias de Christo, per suam doctrinam veritatis et patrata miracula. Sed se ipsum exinanivit et formam servi accepit per suam humiliationem in assumta humanitate, non in praeexistenti divinitate, non ante, sed post incarnationem. Christo, in assumta humanitate se humilianti appropriatur tam specialis, tam singularis tam, extraordinaria $\upsilon\pi\epsilon\rho\upsilon\psi\omega\sigma\iota\varsigma$ exaltatio, ut sit iudex viventium et mortuorum.

Nullam proinde admitto collisionem inter epistolam ad Romanos XIV. 10-12. et ad Philippenses II. 9-11. Sed statuo in utroque loco Paulum loqui de genuflexione in ultimo iudicio futura, Nam oraculum etiam Propheticum seu ipsum iuramentum divinum Es. XLV. 22 proprie respicit extremum iudicium, in quo Christus Dominus ille universalis omnium vivorum et mortuorum ab omnibus hominibus palam agnoscetur, et sic omne genu se ei incurvabit, etsi fides et confessio Christi, quae ab omnibus requiritur in hac vita exinde deduci queat, et ob extremum iudicium necessaria sit. Idem enim est Dominus, in quem hic credendum est, quemque confiteri omnes oportet, qui salutem consequi volunt; et cui tandem in die pantocritico omnium genua flectentur.

Difficul-

Difficultatibus his exegeticis sublatis, examinanda adhuc resta quaestio, num ultimum iudicium metaphorice tantum accipi debeat, ut nullum externum sed internum iudicium designet, quod omni tempore fiat per meras operationes in conscientiis hominum, et per quotidiana Dei iudicia inter homines excitetur? Provocant ad iudicium privatum, quod statim post mortem in singulis locum habeat, THOMAS BURNETVS pro nexu suarum hypothesium sic scribit. *Ajunt, scio privatum et particulare iudicium institui ante illud generale de singulis animabus, statim ac exierint de corpore, idque aliquatenus recipi potest, modo nihil externum eo nomine intelligant sed internam Nemesein, qua quisque suos patitur manes et conscientia propria teste simul et iudice sese habet instar, rei et damnati, poenasque luit pro ratione sui sceleris αὐτοκατάκριτος.* Respondeo autem hoc non mere internum, sed et externum est, si animae piorum ab angelis bonis deducuntur in sinum Abrahae, prout docet parabola de Lazaro; et si dives heluo fatetur, *crucior in hac flamma* ex Luc. XVI. 24. Porro respondendum est, ad supra allata dubia cum B. GERHARDO ex LL. Th. Tom. IX. p. 2. *Quamvis Deus, non solum in hac vita iudicia sua exerceat, bonos defendendo ac praemis afficiendo, malos autem coercendo, et supplicia eis inferendo, sed etiam in morte cuiusvis hominis anima Dei iudicio ab Angelis praesentetur, ac pro ratione status antegressi vel in coelum evebatur, vel ad infernum detrudatur; tamen iudicium illud est duntaxat inchoatum, parziale ac particulare; sed in die novissimo demum sequetur iudicium, completum totale et universale, in quo omnes homines in corpore et anima iudicabuntur, ac perfectam plenam et consummatam operum suorum retributionem percipient.*

Posito et concessio etiam: in descriptione processus iudicialis, quasdam occurrere locutiones metaphoricas, neque reperiuntur iri liberos in aere, sed in conscientiis hominum aperiendos, locuturo Domino iustitiam, per quam cuiusvis vita, antea

Eta

Et a judicabitur, quamvis singulorum historiae non recitentur; propterea iudicium non dici potest mere internum. Non enim neganda est *apparitio visibilis* Domini qui hoc iudicium administrabit Math. XXV. 31 quem ideo rediturum e coelo praedixerunt Angeli Act. 1. 10. Nam Christo ideo data est potestas iudicium exercendi, quoniam filius hominis est Ioh. V. 22 27. Nec neganda est *congregatio omnium*, coram tribunali Christi tam viventium, quam mortuorum, Rom. XIV. 9, quia omnes gentes, et omnes homines comparere debent coram Christo iudice, sive ad dextram sive ad sinistram collocandi Matth. XXV. 32. 2 Cor. V. 10. et ideo omnes ad poenitentiam vocantur Act. XVII. 31. Quod si vnus aliquis non compareret, falleretur Dei iuramentum Es. XLV. 23, quod est prorsus ἀδύνατον. Porro non neganda est *luculenta manifestatio ἀνοκάλυψις δικαιοκρισίας τῆ Θεῶ justissimi et accuratissimi iudicii*, quo Deus omnium occulta cordis, omnium etiam verba, et opera in iudicium vocabit, et sine personarum respectu decretoriam sententiam de iis feret. Rom. II. 5 6. Matth. XII. 37. 1. Cor. IV. 5 1. Petr. I. 17.

Neque vero maiestas iudicis permittet, ut absque vlllo reverentiae et subiectionis signo iudicandi coram ipsius tribunali consistant, sed *genuflexione et oris confessione*, testarum reddent, se hunc iudicem, Regem et Dominum agnoscere. Nec pii tantum, sed etiam, impii, quin et ipsi daemones subiectionem suam erga Christum declaraturi sunt, vt ex Phil. II. 10. intelligitur. Quid vero ibi fiet, de ferocissimis Criticis et qui ad ignominiam filii Dei Salvatoris doctrinam de extremo iudicio abnegare, et e religione Christiana expungere voluerunt? respondeo cum Esaia. *Pudescient qui in eum ira excanduerunt*. Discamus ergo dum adhuc tempus est, scire et revereri Dominum, ne eo ad iudicium venturo, pudeamus, et in aeternum pereamus, sed Domino placeamus, et recuperatae salutis partem in coelestibus Spiritualis benedictionis bonis habeamus. Nullam in hac vita committamus iniustitiam, adversus alios mentiendo, eosque defraudando, ne tandem cum pudore et damno irreparabili experiamur et agnoscere cogamur: Deum esse iustum, et iusta omnia illius iudicia.

* * *

Coll. diss. A 234, nusc. 17